enim dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis debita veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines; ita & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & Prophetæ.

6. Huc reſpiciens *Auguſtinus* & ex illo *Bernhardus*, *Charitas ſi deſit*, inquit, *fruſtra habentur omnia: ſi adſit, rectè habentur omnia.* Et rurſus Auguſtinus, *In iis quæ apertè in ſcripturâ poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresq́, vivendi; ſpem ſcilicet, atque caritatem.*

Tr. 9. in Ioh. De modo bene viv. ſerm. 5. De doct. Chr. l. 2. c. 9. In comm. 1. Cor. 10. 11.

7. Hiſce omnibus nihil magis geminum eſſe poteſt, quàm præclara verba inſignis Theologi proximorum temporum, *Petri Martyris* quæ libenter ſæpiùs repeto: *Miſerum eſt, cùm habeamus tot clara & aperta in ſacris literis, de fide, ſpe, charitate, & cæterarum virtutum officiis in quibus nihil eſt obſcurum; quòd ea prorſus neglecta relinquamus: & tantâ ſuperſtitione, quæ incerta ſunt, & minùs ad ſalutem faciunt, velle perſequi. Hoc diabolus curat, ut in quæſtionibus infinitis ac inutilibus vehementer laboretur: abjectis quæ neceſſaria ſunt ut ſerventur.*

8. In his paucis SUMMA ferè totius præſentis operis continetur: quæ ad hæc duo imprimis *extrema* magis magisq; agnoſcenda ac devitanda nobis inſervire debet. *Primò*, ne *Samaritaniſmum* ſeu *Libertiniſmum* quendam, hoc eſt, confuſionem ſectarum & opinionum omnium introduci patiamur; ſed

observandæ ad vitã tũ Samaritaniſmũ.

ut